



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 208. Quæ ætas vel intentio requiratur in suscipiente seu levante baptizatum, ut contrahatur hæc cognatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

vix spatium detur designandi patrinum; de cetero quemadmodum comprehendatur patrinus privatus, satis ex eo patet, quod jura statutaria hoc impedimentum æquè de privato ac de solenni Baptismo loquantur. c. 1. & c. fin. b. 1. in 6. siquidem baptizatus privatim æquè instructore, quàm baptizatus solenniter indiget.

Quest. 206. Utrum monachi & religiosi quibus id prohibitum est, c. placuit. caus. 16. q. 1. c. non licet, & seq. dist. 4. de consecrat. si suscipiant seu levant infantem ex Baptismo, contrahant dictam cognationem.

R Esp. Videri quod sic; ratio enim cur id iis prohibuitur est, ut Pirh. num. 34. Laym. l. c. num. 3. ne ob cognationem inde contractam nimiram etiam familiaritatem cum secularibus, præsertim feminis, contrahant; adeoque textus citati videntur esse tantum inhibitorii, non irritatorii.

Quest. 207. An dum supra domi privatum baptizatum postmodum in templo suppleatur ceremoniis & solemnitates omisæ, etiam adhibitis patrinis, hi contrahant dictam cognationem.

R Esp. Neque hi, neque suppleas illas solennitates contrahunt hoc impedimentum (saltem dirimens) cognationis spiritualis; quia dicta suppletio non est collatio Baptismi, Sanch. l. 7. d. 62. num. 5. Pirh. num. 36. Unde etiam quoties Baptismus & confirmatio conferuntur invalidè neque baptizans, neque susceptor contrahunt hanc cognationem; dum enim principale non subsistit, nec accessorium validum esse potest; susceptio autem è Baptismo & cognatio inde subsequens sunt accessoria ipsi Baptismo. Cönnick. d. 32. de Sacram. du. 2. n. 31. Pirh. l. c. cum communi.

Quest. 208. Quæ ætas vel intentio requiratur in suscipiente, seu levante baptizatum, ut contrahatur hæc cognatio.

1. R Esp. ad primum: Nulla ætas certa ad hoc requiritur Sanch. l. 7. d. 60. n. 3. Nav. l. 4. consilior. cons. 2. de cognat. Spirit. Laym. num. 2. Pirh. num. 34. Sed neque necesse est, ut ætate excedat baptizandum. Sanch. Pirh. LL. cit. requiritur tamen usus rationis; qui enim necdum assecutus rationis discretionem, patrinus esse nequit. AA. iidem LL. cit.

2. Resp. ad secundum: Requiritur intentio obeundi munus patris spiritualis seu patris juxta institutionem & consuetudinem Ecclesiæ; adeoque non sufficit materialiter levare è sacro fonte, vel etiam solum commoditatis gratiã, vel ob aliam causam V. G. ut patrinum senem juvet, baptizatum sustinere. Sanch. d. 58. n. 4. Laym. Pirh. LL. cit. Ponc. l. 7. c. 39. n. 9. Castrop. l. c. n. 4. nullatenus autem ex eo illam cognationem impedire poterit patrinus, quod noluerit eam contrahere, si de cetero intentionem habeat exercendi munus patris; cum hæc cognatio officio patris annexa sit jure ecclesiastico, cujus efficaciam patrinus impedire nequit. Sanch. Castrop. LL. cit.

Quest. 209. An & qualiter requiratur, ad contrahendam hanc cognationem,

R. P. Lehr. Jur. Can. Tomus IV.

ut baptizans & levans sit baptizatus & fidelis.

1. R Esp. Neque baptizans, neque levans è sacro fonte est capax contrahendæ cognationis spiritualis ab Ecclesia introductæ ex Baptismo, qui non est baptizatus, etsi aliàs sit catechumenus; quia Ecclesiæ ejusque legibus, vi quarum hoc impedimentum introductum, subiectus non est. Barb. de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. num. 34. Sanch. l. 6. d. 60. n. 7. & 8. Pirh. num. 35. Laym. cit. n. 2. dicens esse certam sententiam, juxta quod expressè habetur c. in Baptismate. d. 4. de consecrat. Pari modo patrinus esse non potest in confirmatione, adeoque nec inde contrahere cognationem, qui ipse confirmatus non est. Pirh. num. 34. Laym. num. 2. citans gl. incit. c. in Baptismate. Henriq. l. 3. c. 3. num. 3. Vivald. de Baptif. c. ult. num. 29. Sanch. l. 7. d. 60. num. 20. contra Nav. l. 4. cons. 1. de cogn. Spirit. Sotum in 4. d. 24. q. 1. d. 5. Roderiq. in Tom. 1. sum. c. 227. concl. 4. Sylv. Tabiena & c. Ex his jam

2. Infertur primò, infidelem, qui baptizavit filiam fidelis, etiam conversum & baptizatum, posse cum ea ejusque matre contrahere matrimonium; quia Baptismus, ex quo orti poterat illa cognatio spiritualis & impedimentum, tunc quando erat, illud & illam causare non poterat; quia infidelis non erat ejus capax; neque modò, dum jam capax est illius; quia non amplius existit; ita Sanch. d. 60. num. 11. Cön. cit. du. 2. num. 25. Pirh. num. 25. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. contra Henriq. l. 12. c. 3. num. 4.

3. Infertur secundò: Fidelem baptizantem, vel levantem è sacro fonte filium infidelis, nullam contrahere cum eo cognationem. Barb. l. c. Sanch. num. 14. Rodriq. l. c. n. 226. concl. ult. Pirh. Laym. LL. cit. contra Henriq. cit. c. 11. num. 3. Sylv. v. mat. 8. q. 7. dicto 12. siquidem cognatio spiritualis, cum sit relatio inter duos terminos ejus capaces, non potest ab altero eorum contrahi, quin ab utroque contrahatur; adeoque cum non baptizatus nequeat esse cognatus spiritualiter, etiam fidelis baptizans ejus filium non potest esse ejus cognatus spiritualiter. Laym. Sanch. Pirh. LL. cit. subjicit tamen Laym. quod in hoc casu (nimirum ubi fidelis baptizavit filium infidelis) si patrens baptizati filii postea suscipiat Baptismum, ex eo tempore censetur contraxisse spiritualem cognationem, per quam impediatur à nuptiis cum persona baptizante, consistante, & patris filii sui, atque ita doceri à Sylv. l. c. & Cön. l. c. n. 27. contra Sotum l. c. & Sanch. l. c. num. 15. quæ tamen doctrina, non video, quomodo subsistat cum eo, quod dixerat paulò ante. nimirum Baptismum, qui jam præteritus est, & non est, non non posse causare dictam cognationem in eo, qui jam quidem ejus capax est, non tamen erat ejus capax, quando existebat Baptismus.

Quest. 210. Dum quis per legatum vel procuratorem suum suscipit aliquem ex Baptismo vel confirmatione, quis eorum contrahat cognationem spiritualem.

1. R Esp. primò: Imprimis talis legatus, procurator vel mandatarius non contrahit illam cognationem; siquidem ut sit verus patrinus seu susceptor, adeoque cognationem

o 2

illam